

parte ad subsistentiam populi necessaria arabilia et falcabilia terrena, imo ipsae Sylvae et pascua jaceant; insuper vero generice Bona Episcopatus et Praepositurae Zagrabiensis, in specifico vero Capituli Zagrabiensis, Sziszekiensi excorporationi per projectum subjiciuntur: constat autem et palam certum est, Episcopatum ultra et praeter Hrastovicensem Praeposituram, Bona in utraque ripa Colapiana possidere, denique Arcem Sziszek cum totali Bonorum eo nomine vocatorum Corpore (solis binis, Komarovecz et Blinya, possessionibus ac sylvis, ad caput Bonorum pertinentibus et in dextra ripa situatis, exceptis) in ripa omnino sinistra jacere et Latius Savum ac Odrum versus in Regni jurisdictionem nulli inclavationi obnoxiam protendi; unde quid aliud expectandum venit, quam, quodsi ita in genere antelata Episcopatus, Praepositurae et Capituli aliarumque complurium Familiarum bene meritum jura et Bona ampliora, ideo, quia militari adjacent, per projectum Aulae Bellici Consilii Regno caeteroquin inaudito et in partem pertractationis nunquam vocato involvi, quae non inclavata, sed contigue adjacentia sint, imo ipsa Militaria loca nonnulla magis provincialia inclavarentur, et tamen propterea titulum acquisitionis ut uni ita alteri Statui non praeberet declarari et denique excorporationi lege vetitae subjeci possent, majores Limitum et jurisdictionum ac unquam erant Confusiones differentiasque sequi et tandem hoc titulo nunquam cessaturas excorporationes ad nova projecta deventuras esse, quod utique a pientissima Majestatis Vestrae Sacratissimae mente alienum esse firmiter speramus.

Ipsa porro excorporatio, si etiam ex ratione Status et in Monarchiae Conservationem inevitabilem fieri deberet, quae ut projectata est, tanti momenti est, ut Comitatus Zagrabiensis actualis jurisdictionis et possessorii facile quartam partem superet, in sensu sistemalium Regni Legum extra generalia Regni Hungariae Comitatus institui non possit, nos enim partem saltem Sacrae Coronae constituimus et in praedictum ejusdem Sacrae Coronae ac Regni Hungariae nil agere possumus.

Proinde Majestati Vestrae Sacratissimae praemissa rationum momenta omnia hic in parte candide et sincere exposita de genu humillime substernimus supplicantes, ut iis in benignam reflexionem demptis tam novi Comitatus Szeverinensis erectionem et instaurationem, quam omnem ad Statum Militarem quocunque sub titulo provincialis politicae jurisdictionis excorporationem elementer antevertere, et si quid utrisque his in meritis agendum esset, ad futura Generalia Regni Hungariae Comitatus benigne relegare rebusque in statu quo conservatis reservare dignetur Majestas Vestra Sacratissima. In reliquo vero in obsequium, et altissimum Majestatis Vestrae Sacratissimae servitium vitam et sanguinem consecrantes emorimur

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Dabantur ex generali nostra pro 27.
et sequentibus Octobris Mensis Zagrabiae celebrata Congregatione.

Humillimi perpetuoque fideles subditi
N. N. Regnorum Dalmatiae, Croatiae
et Sclavoniae Status et Ordines.

A tergo:

Humillima Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae
in merito erectionis novi Severinensis Comitatus et ad Statum Militarem desideratae